## I. Curriculum vitae meae [Fol. 2—9].

Ego Zacharias Bart natus sum Nissae anno Christi 1529 in obsidione Vienensi.

Prima elementa didici in schola Nissensi praeceptore Nicolao Winmanno[1]), viro docto, et D. Johanne Langio,[2]) caesareae maiestatis consiliario.

Pater meus Martinus Bart[3]) ex familia celebri natus ętatis suae sexagenarius, qui per multos annos Nissae in senatorio ordine cum magna laude vixerat, moritur anno 1547 mense Septembri ipso die s. Crucis [Sept. 14], quo Fridericus secundus, dux Lignicensis, obijt.

Mater mea Catharina ex familia Stanislaorum non obscura, matrona vere pia et honesta, moritur anno 1548 ipsis Soterijs [Karwoche].

Per multos annos subministraui puer sacrificulis in celebrandis missis existimans, me rem diuinam facere.

Anno Christi 1546 Dominica Misericordia Domini [Mai 9] veni Goltbergam. Mater mea commendauit me domino Valentino Trotzendorffio, praeceptori. Misericordia Domini, ut verbis prophetae utar, quod mihi contigit in schola Goltbergensi, quę tunc erat in flore, a viro sanctissimo D. Valentino Trotzedorffio, praeceptore mea perpetua laude dignissimo, et audire et discere doctrinam catecheticam ex scriptis prophetarum, Christi apostolorum et D. Martini Lutheri desumptam, quam toto pectore amplector. Integritas et rectum custodiant me.

Anno 1548 poficiscor Lipsiam ad depositionem,[4]) ut vocant. Redeo Goltbergam die Veneris post Trinitatis [Juni 1].

---

[1]) Zu Winmann vrgl. Schlesische Zeitschrift, XXXVII, 131 f.

[2]) Für Johann Lang gibt es noch keine befriedigende Biographie. Vrgl. G. Bauch in der Schles. Zeitschrift, XLI, 165 Nr. 198. S. auch hier unten Abschnitt X Nr. 7.

[3]) Merten Barth, Goltschmidt in Neiße, verkauft 1517 am Mittwoch nach dem Tage der Enthauptung Johannes des Täufers (Sept. 2) einen Zins auf seinem Hause. Breslauer Staatsarchiv, Urk. des Kollegiatstiftes Neiße Nr. 1029. Nach freundlicher Mitteilung von Herrn Dr. Hintze.

[4]) Matrikel der Universität SS. 1548: Zacharias Barth alias Aurifaber Niscenus.

Anno 1549 X. Februarij proficiscor Witebergam[1]) ad uberiorem ingenij cultum capessendum.

Anno 1551 die XII. Augusti decretus est mihi gradus magisterij philosophici decano M. Luca Hetzero Torgensi.[2])

Anno 1552 post obitum Magistri Francisci Reichij[3]) offertur mihi conditio scholastica a Domino Trotzendorffio.

Coepi legere in schola Aurimontana publica 20. Aprilis anno 1552.

Anno 1553 in vigilijs Johannis Baptistae [Juni 23] proficiscor cum D. Trotzendorffio tempore pestilitatis Leobergam. Depulsa plaga ego primus Goltbergam redij ad scholam oppidanorum puerorum colligendam post Martini [November 11] anno 1553.

Anno 1554 pridie Calend. Februarij [Januar 31] duxi Annam, M. Francisci Reichij viduam,[4]) uxorem.

Paulo post domus et supellex mea conflagrauit die Alexij [Juli 17] anno 1554. Propter conflagrationem oppidi, cum schola Aurimontana iussu principis Ligniciam transferretur, ego solus hic operas scholasticas subiui per totum biennium. Adiunxit mihi D. Trotzendorffius catechetam Antonium Blumelium.[5])

Anno 1560 in ordinem senatorium recipior.

Anno 1566 die Cinerum [Februar 27] ab illustrissimo principe ac Domino Domino Georgio, duce Bregensi, hypothecario diocesis Goltbergensis, consulatus huius reipublicae mihi demandatur.[6])

Debita omnia, quae tunc erant in hac republica, exsolui primo anno.

Anno 1567 vocor in patriam a senatu Nissensi ad notariatum, sed nolui stationem meam deserere propter religionem.

---

1) Album 1549 April 5: Zacharias Barth Nissensis.

2) J. Köstlin, Die Baccalaurei und Magistri der Wittenberger philosoph Fakultät, IV, 12: Magistri 1551 die XI. Augusti renunciati: 24 (von 40 Magistranden). Zacharias Bart Nissenus. Note: Professor scholae Goltbergensis. Inde consul eiusdem reipublicae electus.

3) Zu F. Reich vrgl. weiter unten Abschnitt X No. 8.

4) Das Leben der Frau Barts Anna s. unten im Abschnitt VII. Die Stiefkinder Barts aus der ersten Ehe Annas mit F. Reich sind auch im Abschnitt III mitberücksichtigt.

5) Zu Blümel vrgl. unten im Abschnitt X No. 8 gegen das Ende.

6) Bart blieb aber wie es scheint noch einige Zeit an der Schule neben seinem neuen Amte tätig. Hans von Schweinichen, der erst am Donnerstag nach Cantate auf die Schule in Goldberg kam, erzählt von ihm: und doch die Zeit über zu Goldberg nicht einen einigen Schilling (Tracht Schläge) erlanget, außer daß mich Magister Barth, welcher mich sonderlichen in Acht nahm, mit einer Ruthe auf die Hände schmiß, da ich sollte den Terentium recitiren, welchen ich dieselbige Stunde nicht gelernt hatte, sagend: „Lernet ein andermal, oder ich werde euch die Hosen unterziehen.“ H. Oesterley, Denkwürdigkeiten von Hans von Schweinichen, 21.

Anno 1568 deposui consulatum. Tradidi Johanni Helmrico,[1]) successori, rempublicam mediocriter constitutam et nullo aere alieno obstrictam, ut videre est in tabulis publicis.

Eodem anno proficiscor in Stiriam mortuo fratre meo Andrea Bart. Dum absum domo, pestis coepit grassari Goltbergae et aes alienum conflari.

Anno 1569 rursus ab illustrissimo principe Henrico, duce Lignicensi, recuperata diocesi Goltbergensi, consulatus mihi demandatur capitaneo Brandano a Zedtlitz. Traditur mihi respublica fracta et multo aere alieno obstricta, quae mihi multum negotij facessit. Metallici quoque tunc fuerunt mihi et senatui magno oneri.

Anno 1571 die Cinerum [Februar 28] deposui consulatum. Aerario publico exhausto non potui in meo consulatu per biennium rempublicam afflictam et misere obaeratam ad pristinam virtutem dignitatemque reuocare. Exsolui tamen hoc biennio quaedam debita publica, ut tabulae publicae docent.

Anno 1571 post obitum Friderici tertij, ducis Lignicensis, die XXIII. Decembris cum nobilitate Lignicensi, quae tunc frequens aderat, et cum cęteris legatis trium ciuitatum obstrictus sum ab Henrico, duce Lignicensi, in arce, cum conuentus publicus celebraretur. Sed hoc consilium calidum et non satis deliberatum Henrico et Friderico quarto fratribus, ducibus Lignicensibus, infoeliciter cessit.

Anno 1572 coepi laborare febri tertiana.

Anno 1573 ab Henrico et Friderico fratribus, ducibus Lignicensibus, rursus consul creor. Traditur mihi respublica prostrata et publicis debitis, quae duo millia talerorum excesserunt, afflicta.

Permissu principis proficiscor secundo in Stiriam die Lunae post Penthecostes [Mai 11] anno 73. Reuertor domum rebus meis confectis in vigilia Visitationis Mariae [Juli 1]. Sequenti die,[2]) quae erat 3. Julij, praestiterunt homagium Henrico et Friderico fratribus, ducibus Lignicensibus, senatus et tota uniuersitas Goltbergensis.

In eo munere inter multas et magnas difficultates desudandum mihi fuit per totum quinquennium.

Anno 1576 nocte illa, quae 24. Julij consequebatur, circiter horam decimam dimidiati horologij ignis exortus est in platea salinaria apud Johannem Bartsch, vicinum meum e regione habitantem, ex officina pistoria, unde dimidia pars huius oppidi misere conflagrauit. Ego priuatorum oblitus, dum curo publica, uxor mea cum filiabus et tota mea familia rebus meis relictis omnibus propter stridorem ignis et vicinitatem loci in loca suburbana concedunt. Perierunt mihi in illa miseranda conflagratione non tantum omnia edifitia, quae primum

---

1) Frankfurt, Matrikel, S. 1547: Joannes Helmericus Goltpergensis.

2) Bei „Sequenti die“ ist „post Visitationis Mariae (Juli 2)“ zu ergänzen.

ante paucos annos de integro exstruxeram magnis quidem impensis, verum etiam tota mea suppellex et praeterea polenta sex.

Eodem anno inchoata est restauratio templi ad s. Nicolaum me consule, sed propter conflagrationem dimidij oppidi intercepta et impedita est. Absoluitur Dei benefitio et ex contributione senatus et ciuium anno 1592.

Eodem anno mense Februario ab imperatore Maximiliano demandatur administratio ducatus Lignicensis absente Henrico fratri suo Friderico quarto, qui mense Octobri huc venit et comitia consularia celebrat. Mihi de integro prouinciam gubernandae reipublicae iniungit.

Anno sequenti 1577 die XXV. Septembris aqua per canales in urbem deducta est sine impensis senatus et ciuium.

Consule Zacharia dicto cognomine Barba
Unda est per medios Goltbergam ducta canales
D. G. Tilenus[1]) in suo epigrammate.
Sana procul longis adducta meatibus unda
Omnibus in media ciuibus urbe scatet.

Etsi debita publica conflata superioribus annis in meo consulatu, ut tabulae publicae docent, Dei benefitio non creuerint, tamen, cum propter miserandam conflagrationem praecipuae partis huius oppidi exhausto aerario publico dissolui non potuerint, de consilio illustrissimi principis et omnium tribunorum plebis, ne respublica usuris exhauriretur, senatus officinas laneorum, die fleischbencke, 2222 taleris vendidit anno 1577, ita tamen, ut de ijs uniuersa et singula debita publica exsoluerentur.

A me quidem inchoata est solutio debitorum de pecunia a laneis primum soluta, verum deposito meo consulatu successor meus Christophorus Ridelius[2],) quem ego ad eam prouintiam apud principem promoui ideo, ut mihi aliquantulum quietis concederetur, pecuniam ad dissoluenda debita praecipue destinatam in alium reipublicae usum contulit,

Deposui consulatum pene contra voluntatem boni principis anno 78 die 6. Maij.

Contra mihi demandata sunt, sicut aliâs, iuditia prouintialia.

Tradidi successori rempublicam mediocriter constitutam propterea, quod habuit pecuniam ad dissoluenda debita destinatam. Sed eius gubernatio fuit infoelix.

---

[1]) Frankfurt, Matrikel, SS. 1579: Georgius Tilenus Goltbergensis. Vorher in Wittenberg immatrikuliert 1574 Juni 3: Georgius Tylenus Goltbergensis. Hier weiter unten zum Jahre 1584 utriusque iuris doctor genannt. Er war der Sohn des Pastors oder Predigers in Goldberg Georgius Tilenus, der im Abschnitt II erwähnt wird. Zu beiden vrgl. H. Cunradi, Silesia togata, 307.

[2]) Frankfurt, Matrikel, SS. 1552: Christophorus Rudel Goltbergensis.

Remoto Ridelio fit consul Johannes Helmricus, quem creauit Henricus contra voluntatem Friderici fratris anno 1581.

Anno 1582 rursus consul creor die XXI. Aprilis. Consule Johanne Helmrico, antecessore meo, quidam maleuoli contra senatum famosis libellis grauiter conquesti sunt de non solutis debitis publicis, quae quidem de pecunia laneorum soluenda erant, et de πλεονεξία, unde magna exacerbatio inter plebeos et speties seditionis sequuturae exorta est. Verum Fridericus, dux Lignicensis, per suos consiliarios in comitijs consularibus facta inquisitione publica et controuersia prius cognita et bene deliberata omnes aduersus senatum querelas composuit. Mansit tamen apud multos, praecipue maleuolos, magna animorum exacerbatio.

Si unquam aliâs, hoc praecipue anno traditur mihi respublica seditionis plena et publicis debitis, quę tria millia talerorum longe excesserunt, obaerata et afflicta.

Deo praecipue auxiliante et adhibita magna dexteritate et moderatione non tantum animos exulceratos composui, verum etiam propositis medijs tollerabilibus omnia debita publica de integro conflata in ordinem redegi et, quibus rationibus annuatim exsoluerentur, viam monstraui, sicut postea illa transacta de soluendis debitis mense Julio anno 1582 communi consensu a senatu, scabinis et coniuratis, denique ab uniuersis et singulis totius plebis approbata et ab illustrissimo principe ac Domino Domino Friderico, duce Lignicensi et Bregensi, et postea quoque suffragio Henrici, ducis Lignicensis, cum domum redierat, confirmata est, ut docent tabulae publicae.

In eo munere desudandum mihi fuit inter multos difficultates totum quinquennium.

Anno 1583 renouatio templi parochialis inchoata et Dei benefitio absoluta est in meo consulatu.

Eodem anno suggesti noui in templo parochiali instauratio facta et sequenti anno illuminata est.

Anno 1584 exaedificatio aggeris lapidei, de qua antecessores per multos annos magnopere laborarunt, inchoata et Deo iuuante intra semestre foeliciter perfecta est.

Georgius Tilenus V. J. Doctor eleganti
epigrammate expressit, quod inscripsit mihi Zach. Bart M.

Deformi sacra squalebant fuligine templa
Nullus et in sancto fornice splendor erat.
Saepe furens ruptis exibat Cattus habenis,
Pernitiem satis arboribusque tulit.
Non usum rigui fora publica fontis habebant,
Quod graue Vulcano tecta vorante fuit.

Haec tria Chrysoreos multis incommoda ab annis
Presserunt nullo commiserante lares.
Omnia sed tandem te iussa ferente motumque
Consule Chrysoreos deseruere lares.
Sancta deûm spetie meliori limina fulgent
Et didicit Cattus saxea frena pati.
Sana procul longis adducta meatibus unda
Omnibus in media ciuibus urbe scatet.
Ergo tibi grates reddunt loca publica, templum,
Prata, forum cum dijs numinibusque suis.
Relligio templum, Ceres arua libentius alma,
Nunc Astraea forum fonte vocante colit.
Nec memor ante tui morietur fama laboris,
Quam sua mors fontem, templa forumque premat.

Anno 1585 die XXIII. Julij coepit hic grassari pestis, quae Vratislauia per filiam pellionis huc delata est. Moriuntur peste 330.

Si mihi sint linguae centum sint oraque centum, ut verbis poetae[1]) utar, vix referre possem, cum quibus curis et difficultatibus in hac republica fracta et debilitata mihi fuerit conflictandum. Extincti sunt pestilentia una cum uxoribus et liberis apparitores seu serui publici, qui quotidie in meis aedibus, mihi vero a latere fuerunt. Diabolus praeterea multas mihi tendiculas et funes mortis posuit, sed ex his omnibus me et omnes meos clementer liberauit Dominus.

Depulsa plaga de more veteri statuto tempore saepenumero ab illustrissimo principe Friderico submisse rogaui liberationem a consulatu, sed, nescio quo facto aut quibus de causis, bonus princeps comitia consularia distulit. Verum tandem intercedentibus viris nobilitate praestantibus leuationem ad semestre tantum impetraui.

Mirati sunt scabini et coniurati propositis rationibus publicis more solito, quod tempore pestilitatis in tanta rerum penuria aerario publico superioribus annis exhausto et factis impensis non exiguis respublica non aere alieno obstricta est.

Sequenti anno 1586 die 9. Martij rursus ab illustrissimo principe praeter spem et expectationem consulatus denuo mihi demandatur.

In eo munere mihi desudandum fuit continue viuo Friderico usque ad annum 1596 et sub Joachimo Friderico, duce Lignicensi et Bregensi, usque ad annum 1599.

Moritur Anna Wiliana, uxor mea, cum qua vixi annos XXXVIII placide, inter preces filiarum die Innocentum [December 28] anno 1591 hora XI horologij integri mane ante solis ortum.

---

1) Gemeint ist hier das Kirchenlied „O daß ich tausend Zungen hätte“ etc.

Distichon continens mensem et annum obitus.[1])
Jnsontes petijt pueros rex quo die ferro
Annnae Wilenae mors properata venit. D. V.
Vixi viduus annos quatuor.

Anno 1595 celebraui secundas nuptias cum Catharina Mergneriana[2]) die Mercurij post Penthecostes [Juni 11].

Anno 1599 deposui consulatum die X. Aprilis, tradidi Johanni Feigio[3]) rempublicam mediocriter constitutam. Demandantur mihi iuditia curialia.

Anno 1601 rursus consul creor die XII. Martij capitaneo Wenceslao a Zedlitz et Neukirch in Eicholtz. Hic annus mihi fuit inter alios omnes fere difficillimus propter dissensiones ortas inter senatum, pastorem et inter nonnullos ex scabinis et coniuratis, unde sequuta est magna animorum exacerbatio.

Anno sequenti 1602 die XIII. Martij quies et liberatio a consulatu mihi volenti et submisse roganti conceditur. Demandantur mihi iuditia prouincialia.

Paulo post, die XXV. Martij eiusdem anni, moritur Joachimus Fridericus, dux Lignicensis et Bregensis, hora VII. post meridiem pie et placide ex chatarro suffocatiuo. Sepelitur Bregae honorifice die VII. Maij. Eo ipso die moritur pater Georgius, dux Lignicensis et Bregensis, anno 1586.

Anno 1604 in Martio a Domino Wenceslao a Zedlitz et Neukirch in Eicholtz, capitaneo ducatus Lignicensis et tutore ducum Lignicensium et Bregensium, mihi senio confecto praeter expectationem consulatus demandatur.

Sequenti anno 1605 in eo munere non celebratis comitijs fuit desudandum.

[Moritur A. C. 1612 d. 11. Januarij Aet. 83 Ann.][4])

## II. Genealogia liberorum meorum [Fol. 11, 12.].

Elisabeht. Anno Christi 1554 die 21. Nouembris nascitur Elisabeta, filia mea primogenita, sub dimidium noctis. Compater: Vincentius Hedwiger, vicinus. Commatres: Catharina, M. Martini

---

[1]) Das D. V. hinter dem Distichon bezeichnet wohl als Verfasser den Daniel Vechner.

[2]) Catharina war Witwe und Dienerin der Herzogin von Liegnitz. M. Ephraim Myhmerus und M. S. Gr. feierten die Hochzeit mit Gedichten: Nuptiis secundis clarissimi et amplissimi viri Dn. M. Zachariae Barth . . . et Catharinae Mergnerianae, viduae honestissimae, illustrissimae principis domesticae . . . Ad diem XVI. Cal. Jun. (Verlobung?) Aerae Christianae MDXCV.

[3]) Zu Johann Feige vrgl. Abschnitt X No. 14.

[4]) Zusatz von der Hand des Gottfried Thilo, der besonders die Schulgeschichte mit seinen oft schlecht geschriebenen überaus zahlreichen Nachträgen und Notizen verunziert hat.

Taburni,[1]) rectoris scholae, uxor, et Elisabeta, Johannis Helmrici coniunx. Moritur die Paschae mane sole oriente anno Christi 1562.

Esthera. Nata est anno Christi 1556 die VIII. Septembris mane cum diliculo. Compater: Othmarus Werner, vicinus. Commatres: Martha, Andreae Seifrati uxor, et Sara, Wernerianae filia.

Justina. Justina nascitur anno 1559 die 9. Maij hora VIII mi. 20 ante meridiem. Compater: Laurentius Circklerus,[2]) praetor curiae. Commatres: Ursula, diaconi uxor, et Martha, Melchioris Lausmani coniunx. Moritur 8. Julij anno 1562.

Barbara. Nascitur anno Christi 1560 die V. Decembris sub dimidium noctis. Compater: M. Martinus Thabor, scholae rector. Commatres: Martha, Georgij Tileni, pastoris huius ecclesiae, et Ursula, Vincentij Hedwigeri coniunx.

Elisabeht. Nascitur anno Christi 1562 die 22. Martij, quae erat Palmarum, post meridiem hora 4. Compater: M. Georgius Helmricus.[3]) Commatres: Anna, Georgij Grissaueri[4]) vidua, et Margaretha, Valentini Wielen, notarij, coniunx.

Zacharias et Johannes gemini. Anno Christi 1564 die 3. Maij nati sunt gemini Zacharias et Johannes hora quinta mane. Compatres Zacharię: Martinus Thaburnus, rector scholae, et M. Jacobus Hungarus,[5]) diaconus. Commater: Elisabetha, Johannis Helmrici coniunx. Compatres Johannis: Christophorus Redel, quęstor, et Johannes Heidenreich. Commater: Margaretha, Werneri, vicini, uxor.

Zacharias moritur in vigilia s. Trinitatis, quae erat 27. Maij, hora 12 pomeridiana anno 1564. Eodem anno in vigilia Margarethe, quę erat dies 12. Julij, hora 12 pomeridiana moritur Johannes.

Epitaphium patre authore.

Hic duo germani fratres geminique Johannes,
Alter Zacharias Barht post sua fata quiescunt.

Justina. Anno 1565 die 21. Octobris, quę erat dies s. Ursulae, hora VII vesperi nascitur Justina. Compater: Johannes Claius,[6]) scholae professor. Commatres: Martha, Georgij Vechneri coniunx, et Elisabetha, Georgij Hammanni uxor. Moritur Justina Taburniana

---

1) Zu M. Thaburnus Senior s. Abschnitt V.

2) Für Lorenz Cirkler den Sohn vrgl. Abschnitt X No. 12.

3) Zu Georg Helmrich dem Jüngeren vrgl. Abschnitt X No. 8.

4) Frankfurt, Matrikel, SS. 1561: Georgius Gryssawer alias Chrysaurus Goldtbergensis. H. Cunradi, Silesia togata, 100. Er war aus Kärnten.

5) Wittenberg, Album, 1559 September 28: Jacobus Ungarus Goltbergensis,

6) Theodor Perschmann, Johannes Clajus des Älteren Leben und Schriften, Festschrift, Nordhausen 1874. Perschmann kennt den älteren Wittenberger Professor M. Nicasius Clay oder Heynack aus Herzberg nicht, der im WS. 1506 immatrikuliert ist, 1508 Baccalar, 1510 Magister wurde und schon 1511 Aufnahme im Senat der Artistenfakultät fand.

in vera agnitione et inuocatione filij Dei anno Christi 1601 die XIII. Junij hora octaua post meridiem. Sepelitur in templo parochiali die XVII. Junij honeste et cum magno comitatu.

Ex scheda Magistri Martini Taburni,[1]) notarij, descripsi genealogiam filiarum:

Anna, filia, nata est decimo quarto die Martij die Mercurij post Gregorij intra [horam] 2 et 3 medij vel 20 integri horologij anno 1584 in signo Arietis.

Catharina nata est 10. Nouembris hora 9 integri horologij anno Christi 1591 in Virgine.

Theodora nata est 31. Maij post [horam] 5 medij horologij in Geminis anno Christi 1593. In eundem diem tum incidebat ecclipsis solis.

Estera nata est anno 1596 post Cinerum [Februar 28].

### III. Sponsalitia filiarum [Fol. 13, 14].

Anno 1569 despondi Annam, priuignam, Johanni Kifero, ciui et tinctori Goltbergensi, 12. Januarij. Nuptiae celebrantur die XII. Februarij.

Anno 1574 despondi filiam meam Estheram Simoni Kulhasio. Nuptiae factae sunt die 17. Februarij. Nascitur Anna Kulhasia, neptis, die Martini [November 11] anno 1574 in paternis aedibus.

Anno 1575 Dauid Reichius, priuignus, duxit uxorem Rebeccam, Johannis Bauari, tempore pestilitatis, diaconi filiam, diebus Bachanaliorum [Fastnacht].

Anno 1577 die XII. Februarij duxit uxorem Valentinus Reichius[2]) D. Valentini Hilingeri, olim consulis huius reipublicae, filiam Margaretham.

Moritur Margaretha, Valentini Hilingeri vidua, anno Christi 1578 Dominica Reminiscere [Februar 23].

Anno 1579 despondi Barbaram, filiam, Abrahamo Hilingero[3]) 6. Februarij. Dotis loco sponsus per tutores suos, D. M. Martinum Thabur et Johannem Helmricum, sponsae promisit 200 florenos Hungaricos. Nuptiae celebratae et iucunda laetitia et sine ulla animorum dissentione, Dis gratia, peractae die XXIIII. Februarij.

Distichon continens annum nuptiarum.

Jungitur Abrahmo sponsali Barbara nexu,
Gnate Dei praeses, fer bona fata toro.

Deducta est domum 12. Martij ipso die Gregorij.

---

1) Für M. Thaburnus Junior vrgl. Abschnitt VI.

2) Wittenberg, Album, 1569 Dezember: Valentinus Reich Goltpergensis.

3) Zu Abraham Hilliger vrgl. Abschnitt IX.

Anno 1580 die XIIII. Februarij, qui erat dies s. Valentini, peperit filia mea Barbara Hilgeriana filium promogenitum Valentinum hora septima dimidij horologij ante meridiem.

Anno 1582 die 17. Martij hora secunda pomeridiana peperit Hilgeriana filiam Hestheram.

Anno 1584 die 25. Januarij, quae erat dies conuersionis s. Pauli, nascitur Barbara Hilgeriana, neptis, hora tertia mane ante diluculum.

Anno 1583 despondi Justinam, filiam, M. Martino Thaburno,[1]) notario huius reipublicae, 25. Januarij. Sponsus dotis loco per D. Johannem Helmricum, praetorem curiae, et D. Johannem Zeuchnerum, consulem Hannouiensem etc., promisit sponsae unciales trecentos. Nuptiae celebratae et vere nuptiali laetitia, Dis gratia, peractae XI. Februarij.

Anno 1584 die XIIII. Martij, qui erat dies Zachariae, nascitur Anna, neptis, hora secunda pomeridiana min. 30.

Anno 1584 die I. Aprilis, que erat dies Paschae, Justina laethali morbe conflictatur in puerperio, verum gratia Domini, quod non consumpta est.

Moritur M. Martinus Thaburnus iunior, notarius huius reipublicae, anno 1598 die 28. Januarij vesperi intra horam nonam et decimam. Sepelitur 2. Februarij.

Anno 1585 die 3. Januarij implorato Dei auxilio et adhibitis ad deliberationem viris prudentibus et fidis, in primis vero D. Leonardo Krentzhemio, superattendente ducatus Lignicensis, et Magistro Baltazare Wegnero, huius ecclesiae pastore, despondi Elisabetham, filiam meam, Valentino Wielen, Valentini Wiliani, olim notarij huius reipublicae, filio. Sponsus dotis loco per dictum D. pastorem et Johannem Fleischerum[2]) et Valentinum Sommerum promisit sponsae unciales ducentos. Nuptiae constitutae laetita nuptiali peractae sunt die XXII. Januarij. Deducitur domum 6. Maij die Lunae post Dominicam Misericordias Domini.

## IV. Vita D. Valentini Fridlandi Trotzedorffij [Fol. 16].

Trotzedorfius [3]) nascitur in pago Trotzendorff in territorio Gorlicensi anno 1489. Parentes Trotzendorffij moriuntur anno 1513

---

[1]) Zu M. Martin Thabor dem Jüngeren vrgl. Abschnitt VI.

[2]) Für Johann Fleischer vrgl. Abschnitt X No. 11.

[3]) K. J. Löschke, Valentin Trotzendorf, Breslau 1856. Nach N. Pol, Jahrbücher der Stadt Breslau, II, 145, soll Trotzendorf unter M. Johann Rosenberg an der Schule in Schweidnitz tätig gewesen sein. Der Rektor scheint nur aus dieser Angabe bekannt zu sein. Eine Jahreszahl (1517?) fehlt bei Pol. H. Schubert, Die evangelische lateinische Schule in Schweidnitz (1561—1635), 39, S. A. aus dem Korrespondenzblatt des Vereins für Geschichte der ev. Kirche Schlesiens (1906).

aetatis filij 24. Prima elementa didicit in schola Gorlicensi. Proficiscitur Lipsiam anno 1513.[1]) Fit collega in schola Gorlicensi anno 1518. Confert sese Witebergam anno 1518.[2]) Fit collega in schola Goltbergensi anno 1523. Fit rector scholae Goltbergensis anno 1524. Dux Fridericus secundus vocat Trotzendorffium in academiam nouam Lignicensem collegam 1527. Wittebergam redijt anno 1530. Fit rector scholae Aurimontanae secundo consule Georgio Helmrico anno 1531. Anno Christi 1556 die 26. Aprilis, quae erat Dominica Jubilate, sub meridiem hora XII. pomeridiana nobilis et immutabili memoria et laude dignus studiorum praeses Dominus Valentinus Trozendorffius, postquam scholam Goltbergensem annos circiter 43 (!) magno labore foeliciter rexisset (!), subita apoplexia correptus relictis miserijs vitae praesentis a nobis in caelestem scholam commigrauit annum aetatis ingressus 67. Sepultus est in aede D. Johannis Lignitię.

## V. Vita M. Martini Thaburni senioris, rectoris scholae Aurimontanae [Fol. 17].

M. Martinus Taburnus senior nascitur Glogouiae anno Christi 1524. Proficiscitur Witebergam anno 1538.[3]) Fit collega in schola Goltbergensi anno 1546. Duxit uxorem Catharinam Strobelianam, D. Georij Helmrici viduam, anno 1548. Fit praetor urbanus sub Friderico tertio anno 1550. Fungitur officio per biennium. Post obitum Trotzedorffij fit rector scholae Aurimontane 1556, admini-

[1]) Leipziger Matrikel SS. 1514: Valentinus Fridand de Gorlitz. Note: Trozendorfius a pago cognominatus, moderator scholae Golbergensis perquam foelix. Baccalar SS. 1515: Valentinus Fridelant de Jorlicz. Note: Trozendorfius, scholae Goltbergensis moderator felix.

[2]) Album SS. 1519: Valentinus Drossendorff diocesis Misnensis ultima Maij. Am 3. Februar 1520 erscheint ein Franciscus Fridlandt de Trotzendorf diocesis Misnensis im Wittenberger Album, wohl Trotzendorfs Bruder. S. weiter unten Beilage VII. Hier sind auch die folgenden merkwürdigen, von allen Quellen verschwiegenen Nachrichten aus den Akten des Breslauer Domkapitels nachzutragen. 1518 Juli 23: Dominus Valentinus Fridland receptus fuit in penitenciarium ecclesie [s. Johannis Wratislauiensis] ad quartale proximum instituendus. 1519 Februar 18: Dominus Valentinus Fridlandt personaliter presens assumptus est in penitenciarium ecclesie et decrete sunt illi litere capituli commendaticie ad dominum episcopum. 1520 September 1 nennt das Protokoll über die Wahl Jakobs von Salza zum Bischof von Breslau mit als Zeugen: Valentinus Fridlant, penitenciarius ecclesie Wratislauiensis. Schlesische Zeitschrift, XLI, 345.

[3]) Album WS. 1542/43: Martinus Thabar Glogouiensis. Zum Magister promoviert unter dem Dekan Johann Stolz aus Wittenberg 1546 Februar 25: 7 (von 39). Martinus Thobur (Thabor) Glogouiensis. Noten: Rector scholae Goldpergensis in Silesia. Moritur ibidem anno 79. 17 Kal. Maij [April 15].

strauit scholam biennium Post decessum D. Paxmanni[1]) rursus fit rector scholae anno 1563. Anno 1579 die 15. Aprilis ipsis Soterijs euocatur ex hac lachrimarum valle ad beatam Christi et omnium electorum consuetudinem nobilis et clarissimus vir, virtute, pietate et eruditione multiplici excellens Dominus M. Martinus Thaburnus, cum in hac schola Goltbergensi docuisset foeliciter annos 33, annum aetatis ingressus 55. Sepultus est 19. Aprilis in templo parochiali. Praeripuit Deus hunc virum, ne videat futura mala, quae nostris ceruicibus imminent et iam iam nos oppressura videntur.

## VI. Vita M. Martini Thaburni iunioris [Fol. 18].

M. Martinus [Thaburnus] iunior, notarius publicus et scriba reipublicae Goltbergensis, nascitur anno 1549 parentibus M. Martino Thaburno, olim rectore huius scholae, et matre Catharina Strobeliana. Anno 1558 cum patre Witebergam puer adhuc proficiscitur, a D. Philippo Melanchtone examinatur in catechismo et in matriculam uniuersitatis refertur.[2]) Anno 1571 de consilio patris Vitebergam ad uberiorem ingenij cultum capessendnm proficiscitur. Anno 1574 Francofordiam ad Oderam sese confert,[3]) ubi anno sequenti gradum magisterij consequutus est decano Johanne Schossero.[4]) Anno 1576 in Morauia fit priuatus praeceptor filij comitis in Hardeck. Anno 1580 fit collega et professor gręcae linguae in schola Aurimontana rectore Laurentio Circklero.[5]) Anno 1582 fit syndicus seu scriba huius reipublicae publicus. Anno 1583 die 13. Februarij ducit uxorem Justinam, filiam meam, cum ea vixit annos 15, reliquit filias quatuor superstites. Anno 1597 consequutus est dignitatem notariatus. Anno 1598 die 28. Januarij vesperi intra horam nonam et decimam moritur. Sepelitur in templo parochiali die 2. Februarij.

## VII. Vita uxoris meae Annae Wilianae [Fol. 19].

Nascitur Anna Wiliana, uxor mea, in Aulona superiori anno Christi 1522 parentibus Vincentio Wileno et Anna Langnicoliana. Nupsit M. Francisco Reichio Sorabio, professori huius scholae, anno 1542. Vixit cum eo annos decem. Peperit liberos quinque durante coniugio, filios tres, Dauidem, Georgium et Valentinum Reichium, et

---

[1]) Zu Paxmann vrgl. Abschnitt X No. 10.

[2]) Wittenberg, Album, 1558 Oktober 2: Martinus Thabor Goltbergensis.

[3]) Frankfurt, Matrikel, SS. 1574: Martinus Thabor Glogouiensis.

[4]) Baccalar und Magister (WS. 1574/75)' 1575 April 12: Martinus Taburnus Junior Goltbergensis.

[5]) Zu Lorenz Cirkler vrgl. Abschnitt X No. 12.

filias duas, quarum altera moritur adhuc infans, altera, Anna Kiferiana, adhuc est in viuis. Fuit vidua annos duos. Anno 1554 nupsit M. Zachariae Barthio, consuli. Vixit cum eo annos 38. Peperit durante hoc coniugio liberos octo, videlicet duos filios geminos, Zachariam et Johannem, qui moriuntur anno 84, et filias sex, quarum duae, Elisabeht et Justina, moriuntur pene infantes. Reliquae quatuor, Esthera Kulhasia, Barbara Hilgeriana, Elisabeht Wiliana et Justina Thaburniana, sunt adhuc in viuis. Anno 1591 die 28. Decembris, quae erat dies Innocentum, hora 11 horologij integri mane ante solis ortum moritur placide inter pias preces filiarum. Sepelitur honeste cum magno comitatu die 1. Januarij anno 1592 in templo parochiali. Habuit, dum vixit, nepotes et neptes 45. Moriuntur 15 et reliquit superstites 30.

Distichon continens diem, mensem
et annum obitus uxoris.

**Insontes petijt pueros rex quo die ferro,**
Annae **Wilenae** mors properata **venit**. D. V.

VIII. Vita Justinae Thaburnianae, filiae meae [Fol. 20].

Justina, M. Martini Thaburni vidua, filia mea, nascitur anno Christi 1565 die 21. Octobris parentibns M. Zacharia Bartt et Anna Wiliana. Nupsit M. Martino Thabornio, notario publico et scribae huius reipublicae, anno Christi 83. die 9. Februarij. Vixit cum marito annos 15. Peperit in coniugio filias quatuor, Annam, Catharinam, Theodoram et Esteram, quę sunt in viuis. Fuit vidua annos 3 et septimanas 21. Moritur anno 1601 die Martis post Penthecostes, quę erat dies 13. Junij, hora octaua post meridiem aetatis suae 36 anno placide et inter pias preces. Sepelitur in templo parochiali cum magno comitatu honeste die 17. Junij anno 1601.

Anna Kiferiana, priuigna mea, moritur X. Junij hora 3 horologij integri. Sepelitur ad s. Nicolaum.

IX. Vita Abrahami Hilligeri [Fol. 20b].

Abraham Hilliger nascitur anno Christi 1554 die 25. Decembris ipso die Natiuitatis Christi post conflagrationem totius huius oppidi parentibus Valentino Hilligero, consule, et matre Margaretha. Proficiscitur de consilio tutorum Francofordiam ad Oderam anno 74.[1]) Redijt domum anno 77. Duxit uxorem Barbaram, filiam meam, anno 79 die 24. Februarij. Cum ea vixit annos 23 et septimanas 17. Habuit liberos 12. Moriuntur quinque et sunt superstites 7. Moritur

1) Frankfurt, Matrikel, WS. 1573/74: Abrahamus Hilliger Goldbergensis.

phtisi anno Christi 1602 die 21. Junij intra horam secundam et tertiam horologij integri. Sepelitur cum magno comitatu in templo parochiali die XXV. Junij.

### X. De origine et conseruatione scholae Goltbergensis [Fol. 23—35].

Goltberga nomen habet ab auri fodinis, quibus olim ciuitas Aurimontana floruit, ut vestigia antiquitatis ostendunt. Cessantibus auri fodinis facta est Goltberga domicilium ecclesiae et piorum studiorum. Nam, cum in Saxonia anno 1517 per reuerendum virum D. Doctorem Martinum Lutherum lux euangelij restitueretur, primum doctrina repurgata est in ciuitate Aurimontana et vicinis pagis Neukirch sub Zedtlitijs. Et cum hîc schola cum ecclesia cresceret, factum est studio et diligentia D. Valentini Trotzedorfij, ut semina doctrinae cęlestis in Silesia et alijs vicinis regionibus spargerentur et crescerent.

1. Primus rector scholae Goltbergensis fuit Doctor Hieronimus Wildenbergius, cognomento Cingulat[o]rinus, Aurimontanus.[1]) Is anno 1504 scholam Colmensem, cuius rector fuerat per multos annos, propter difficultatem annonae, quae tunc erat in Prussia, Goltbergam transtulit.

Collegae eius fuerunt:

M. Fransiscus Siluius Goltbergensis.[2])
M. N. Edeler Leobergensis.[3])

2. Wildenbergio successit M. Franciscus Siluius anno 1512.

Collegae eius fuerunt:

M. Bernhardinus Buchwalt.[4])
Johannes Caluus.
Casparus Fleischer.[5])
Bartholomeus Lobschwitz.[6])

---

1) Zu Hieronymus Gürtler, Wildenberg genannt, vrgl. Schles. Zeitschrift, XXIX, 159 f., und G. Bauch, Drei Denkmäler zur älteren schlesischen Schulgeschichte, Programm der ev. Realschule II 1901, 11 f. und 26 f.

2) Für F. Silvius vrgl. Schles. Zeitschrift XXIX, 179, 181, 185, 188.

3) Nikolaus Edeler (Aedeler, Adeler) war aus Haynau, nicht aus Löwenberg. Er war Kölner Baccalar und starb als Magister und Schulmeister in Zittau 1513. Schles. Zeitschrift, XXIX, 179, 182; Th. Gärtner, Die Zittauer Schule bis zur Gründung des Gymnasiums, Festschrift 1886, 4, 10.

4) Für Bernhardinus Buchwald aus Löwenberg vrgl. G. Bauch, Deutsche Scholaren in Krakau, 60 No. 39; Schles. Zeitschrift, XXIX, 179.

5) Die Frankfurter Matrikel hat zum SS. 1508 einen Casparus Fleischer de Pilmannsdorff, der im WS. 1509/10 Baccalar wurde. Unter No. 4 hier wird C. Fleischer Leobergensis genannt.

6) Zu Bartholomäus Lubschitz vrgl. Schles. Zeitschrift, XXIX, 180, 185.

3. Siluio successit M. Bernhardinus Buchwalt anno 1515.
Collegae eius fuere:
Johannes Caluus.
Casparus Fleischer.
Johannes Sigismundus.[1]
Martinus N. Libenthaliensis.

4. M. Bernhardino successit M. Franciscus Siluius anno 1517.
Collegae eius:
Casparus Fleischer Leobergensis.
Fabianus Geppart.[2]
Gregorius Reiman Leobergensis,[3] Doctoris Johannis Reimanni, cancellarij, pater.

5. Siluio, qui fit praetor reipublicae Goltbergensis, successit Georgius Helmricus[4] anno 1523.
Collegae eius:
Valentinus Fridlant Trotzedorffius.
Gregorius Reiman.

6. Helmrico successit Valentinus Trotzedorffius anno 1524.
Collegae eius fuerunt:
Andreas Treiber.[5]
Johannes Capelus.[6]

7. Trotzedorffio successit Johannes Langius,[7] qui postea factus est consiliarius Ferdinandi, regis Bohemiae, anno 1527.
Collegae eius:
Johannes Capelus.
Georgius Meffredus, cantor.[8]

---

1) Zu Johannes Sigismundi Werner vrgl. Schles. Zeitschrift, XXIX, 179.

2) Frankfurt, Matrikel, 1519: Baccalaureus Fabianus Gebbart de Goltberg. Magister 1521 Januar 22: Fabianus Geppert Goltbergensis.

3) Frankfurt, Matrikel, WS. 1518: Gregorius Reynmann de Lemberg. Baccalar 1519 Juli 16: Gregorius Reyman Lembergensis.

4) Frankfurt, Matrikel, 1517: Georgius Helmerich de Goltberg. Baccalar 1518 Juli 19: Georgius Helmrich Goltbergensis. Von einem Studium in Wittenberg ist nichts bekannt.

5) Leipzig, Matrikel, WS. 1520: Andreas Treiber Ambergius (!). Baccalar WS. 1522: Andreas Treiber Lembergensis. Löschke, a. a. O., 10.

6) Zu Capelius vrgl. Löschke, a. a. O., 10.

7) Zu Johann Lang vrgl. oben S. 5.

8) Album, WS. 1521: Georgius Meffert de Goltberg Vratislauiensis diocesis.

8. Langio rursus successit Valentinus Fridlant Trotzedorffius anno 1531.[1])

D. Valentinus Trotzedorffius per multos annos in administratione scholastica habuit duos collegas ordinarios:

Johannem Tschirnin,[2]) nobilem Nissensem, cui senatus huius oppidi de sententia et mandato Friderici secundi, ducis Lignicensis, singulis annis soluit ex aerario publico marcas Lignicenses quinquaginta.

Huic successerunt

Christophorus Pannonius[3]) et

M. Franciscus Reichius.[4])

Georgius Meffretus, cantor, cui senatus ex aerario publico quotannis soluit marcas quinque, de suo autem adiecit Trotzedorfius marcas XX.

Reliquas lectiones per suos discipulos profectiores et adultiores, cum schola cresceret, recte constituit.

Non tam diligentia in docendo quam disciplinae gubernatio scholae Aurimontanae tum temporis incrementa dedit.

Cum vero Fridericus secundus, dux Lignicensis, a Ferdinando, rege Bohemiae, reditus (!) ecclesiasticos in suo ducatu Lignicensi impetraret, ea tamen lege atque conditione, ut eos ad pios usus conferat, sicut Celsitudo eius inclyta anno 1523 scholam Lignitij aperuit, sed infoeliciter, ablegauit Trotzendorffium Witebergam anno 1546, cum exarsisset bellum in Germania, qui constitutis stipendijs honestis vocauit in scholam Aurimontanam

---

1) Hier steht unten am Rande des Blattes von Barts Hand:

Collegae eius fuerunt per annos 25:

| | |
|---|---|
| Johannes Tschirni nobilis anno 39. | M. Johannes Figulus anno 46. |
| Christophorus Pannonius anno 40. | M. Georgius Selerus anno 46. |
| Jodocus Heniochus, cantor, anno 40. | Melchior Libaldus, catechista, anno 46. |
| M. Franciscus Reichius anno 40. | M. Georgius Helmricus anno 51. |
| M. Martinus Thabor anno 46. | M. Zacharias Bart anno 52. |

2) Fehlt im Wittenberger Album. Zu ihm vrgl. Löschke, a. a. O., 25.

3) Für Christoph Preiß aus Preßburg vgl. G. Bauch, Die Anfänge der Universität Frankfurt a. O., 140—142, 152, 153. Wittenberg, Album, SS. 1536: Christophorus Breiss Posoniensis, Magister 1538 September 19: Christophorus Preyss Pannonius. Frankfurt, Matrikel, WS. 1540: Magister Christophorus Preyss Pannonius (professor Regiomonti).

4) Wittenberg, Album, SS. 1536: Franciscus Reich de Sorauia. Magister 1540 September 23: Franciscus Reich Slesius (vielmehr Lusatus).

M. Johannem Figulum,[1]) iurisperitum,
M. Martinum Thaburnum,[2]) mathematicum,
M. Georgium Sellerum,[3]) professorem gręcae lingue.

Fuerunt hîc ante hanc constitutionem professores

Mag. Franciscus Reichius,
Jodocus Heniochus,[4]) cantor,
Melchior Libaldus,[5]) catechista.

Anno 1551 M. Georgio Sellero successit M. Georgius Helmricus,[6]) M. Francisco Reichio successit anno 1552 M. Zacharias Bart.

Post conflagrationem oppidi anno 1554 die Alexij [Juli 17] iussu principis schola Lignitiam translata est. Ego Zacharias Bart solus hîc operas scholasticas subiui per totum pene biennium. Adiunxit mihi Trotzendorffius Antonium Blumelium[7]) catechetam. Moritur Trotzedorffius Lignitij 1556 die 26. Aprilis.

9. Trotzedorffio successit M. Martinus Thabor anno 1556.

Collegae eius fuerunt:

Jodocus Heniochus Debissus.
M. Georgius Helmricus.
M. Zacharias Bart.
Bartholomeus Kromphirn, cantor.[8])
Anthonius Blumelius, catecheta.

---

1) Wittenberg, Album, SS. 1520: Johannes Figulus de Nurnberga Bambergensis diocesis 5. Maij. Frankfurt, Matrikel, SS. 1553: Joannes Figulus Noricus. Note: iuris consultus obijt Vitebergae. S. unten Beilage II.

2) Zu M. Thaburnus Senior s. oben Abschnitt V.

3) Georg Seiler aus Siebeneichen bei Löwenberg, Schüler Trotzendorfs (siehe unten XI, Beigabe IV). Wittenberg, Album, WS. 1538: Georgius Seyler Leobargensis. Magister 1543 September 11: Georgius Seyler Poleslauiensis. Löschke, a. a. O., 26.

4) Wittenberg, Album, SS. 1560: Jodocus Debissus Henniochus, Theodorus Debissus Henniochus Goldtbergenses. Löschke, a. a. O., 26.

5) Wittenberg, Album. SS. 1543: Melchior Libaldus Boleslauiensis, Löschke, a. a. O., 26.

6) Frankfurt, Matrikel, WS. 1544: Georgius Helmerich Goltbergensis. Wittenberg, Album, 1546 Juni 28: Georgius Helmericus Goldbergensis Sylesius. Magister 1549 Oktober 15: Georgius Helmrich Goldbergensis. Note: Conrector et professor eiusdem scholae quoad vixit. Moritur ibidem in officio 15. Cal. Octobris anno Christi 1580.

7) Wittenberg, Album, 1550 Februar 7: Antonius Blumelh Saganensis.

8) Frankfurt, Matrikel, WS. 1546: Bartholomeus Krumphorn. Löschke, a. a. O., 85. H. Cunradi, Silesia togata, 158.

10. M. Martino Thabor successit D. Henricus Paxmannus[1]) anno Christi 1558.

Collegae eius:

M. Martinus Thabor.
Jodocus Heniochus.
M. Georgius Helmricus.
M. Zacharias Bart.
Johannes Claius,[2]) cantor, anno 59.
Anthonius Blumelius, catecheta.

Paxmannus moritur in academia Francofordiana XI. Julij anno 1580.

11. Paxmanno successit Martinus Thabor anno 1563.

Collegae eius per multos annos:

Jodocus Heniochus. Discessit anno 1564. Jodocus moritur anno 1580 die 3. Augusti.
M. Georgius Helmricus.
M. Zacharias Bart.
Johannes Claius Hertzbergensis. Discessit anno 1566.
